

generis, quam in specie, ac alias quomodolibet tam per Nos, quam per alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessis, auctoritate, & tenore prædictis de novo, quatenus opus sit, erigimus, & institimus.

§. 42. Nec non eisdem Fratribus Discretis, ut omnibus, & singulis privilegiis, gratis, & indultis tam spiritualibus, quam temporalibus, dummodo sint in usu, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac Sacri Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, non adferantur, & quibus alii Ordinis Sancti Augustini Fratres utuntur, potiuntur, & gaudent, pari modo uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

§. 43. Decernentes, præsentis literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Congregationi, & Fratribus prædictis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari.

§. 44. Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 45. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis literis concessa sunt non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 46. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem proferri fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Augusti 1622. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LXXVI.

Confirmatio foundationis Collegii Anglicani in Civitate Ulyssiponensi pro Alumnis Anglis.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Illantis Ecclesie regimini divina dispensatione, nullo meritorum suffragio, præfidentes, Christiani quorumlibet votis, iis præsertim, quæ ad fidei catholicæ propagationem, animarumque salutem pertinere dignoscuntur, libenter animimus, eaque favoribus prosequimur oportunitis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Benetus Cleri

Anglicani apud Sedem Apostolicam Agens, quod dilectus etiam filius Petrus de Coutinho Portugallens. periclitanti apud Anglos fidei catholicæ pro suis viribus succurrere cupiens, in Civitate Ulyssiponensi Seminarium, in quo Anglicanæ Nationis Juvenes pietate, & doctrina instituerentur, ut mature jam in Patria reversi fidei tuendæ, & propagandæ sedulam navarent operam, fundavit, dictoque Seminario pro ejus dote, ac alumnorum pro tempore existentium sustentatione redditus annuos usque ad summam quingentorum scutorum auri ascendere, & pro Domibus, vel emendis, vel extruendis quinque millia scutorum similibus assignavit, quibus, & plura imposterum in operis hujus incrementum additum se spondet. Immediatum vero regimen hujus Seminarii penes eundem Clerum Anglicanum prædictum Fundator esse voluit, ita tamen, ut Supremum Lusitanicæ Inquisitionis Tribunal. & ipse demum modernus Generalis Inquisitor, & ejus pro tempore Successores Rectori præficiantur, & Collegio, qui totius administrationis rationem exigendi jus, & potestatem habeant.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat tam Joannes, quam Petrus prædicti plurimum cupiant, fundationem Seminarium, ut præfertur, factam, apostolicæ confirmationis robore communiti. Nobis propterea humiliter supplicarunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur Joannis, & Petri prædictorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, illosque specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fundationem dicti Seminarium per dictum Petrum, ut præfertur, factam, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 4. Nec non eisdem Seminario, Rectori, & Alumnis pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, gratis, & indultis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alia hujusmodi Seminarium, eorumque Rectores, & Alumni utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, pari modo uti, frui, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, concedimus, & indulgemus.

§. 5. Decernentes præsentis literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, irritumque, & inane, si secus super

Civitate Ulyssiponensi erigatur.

Atque datur.

Petitur confirmatio Pontificia.

Confirmat Gregorius.

Ceterorumque Collegiorum privilegia ei concedit.

Clausula.

his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut ejusdem Seminarii Alumni pro tempore existentes, juramentum de redeundo in Angliam suo tempore, & aliis per aliorum Seminariorum hujusmodi Alumnos præstari solitum, præstare omnino teneantur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Septembris 1622. Pontificatus nostri Anno Secundo.

LXXVII.

Declaratio, & approbatio Privilegiorum Notarii Archiconfraternitatis Charitatis de Urbe circa transmissiones Commissariorum in causis extra Urbem; ac registrationem compositionum, liberationum, ac quarumcumque gratiarum a Sacra Consulta concessarum.

Approbationem hujus Confraternitatis, cum aliis Constitutionibus ipsius materiam tan- tibus, videre poteris in Leon. X. Const. 40. Illius. Tom. III. Par. III. fol. 473.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Exigit creditum Nobis desuper Apostolica servitutis officium, ut ad ea, per quæ litibus, & controversiis inter Christianos quoslibet, præsertim in Alma Urbe nostra degentes, vertentibus occurritur, libenter intendamus, ac desuper ejusdem officii partes favorabiliter interponamus, prout conspiciamus salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, proposita alias sub die 10. Decembris Anni Domini 1621. in Congreg. Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinali negotiis Status nostri Ecclesiastici præpositorum, causa privilegiorum Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis nuncupat. de Urbe, inter cætera sub die 9. Martii præsentis anni decretum fuerit, quod Commissarii, sive per literas in simili forma Brevis a Romano Pontifice pro tempore existente, sive per literas patentes ejusdem Congress. transmissi, teneantur assumere Notarium dictæ Archiconf. quodque in posterum non commit-

Privilegium circa commissiones causarum extra Urbem, & assignationes Notariorum emanarum per nonnulla decreta.

tantur cause alicui Tribunali, nisi post transmissionem Commissariorum, & viso processu per eos fabricato, & postmodum Venerabilis frater noster Octavius Episc. Prænestin. Bandinus, & dilectus filius noster Petrus Paulus tit. SS. Nerei, & Achillei Presb. Card. Crescentius nuncupati a Nobis in omnibus controversiis occasione præmissorum ortis, & oriundis specialiter deputati, infra scripta decreta ediderint, tenoris subsequenti videlicet. Sanxerunt, quod ad singulos infra scriptos Commissarios jam transmissos, amotis Notariis aliorum Tribunalium, quos ipsi secum duxerunt, accedant Notarii officii Charitatis, qui apud eos in commissionibus scribant cum perceptione viaticorum, & aliorum solitorum emolumentorum a die, quo ista Commissiones incæperunt, videlicet: Ad Bulgarellum in causa Saxoferrati vulnerum, in alia Britonorien. exemptionis e manibus Curie, & in tertia Assisen. homicidii de Sorbellis, pro quibus secum duxit juvenem ex officio Luca de Carolis Aud. Cam. Notarii. Et ad Colangelum, qui pariter ducto secum alio juvene ex officio ejusdem Luca de Carolis, Beneventum profectus est in causa Beneventana homicidii. Præterea statuerunt, quod nullatenus censeatur illatum aliquod præjudicium privilegiis Charitatis, circa transmissionem Not. cum Commiss. tam per Breve, quam per literas S. Consultæ hætenus expeditis, etiam si constaret hujusmodi Commissarios aliquando secum duxisse alium Notarium, quam Notarium officii Charitatis.

§. 2. Insuper decreverunt, quod registrantur in actis Notarii charitatis juxta morem consuetum salvconductus, arresta, compositiones, transactiones, liberationes, & gratiæ quæcumque remigantibus alicuius personis faciendæ per S. Consultam cum omnibus scripturis ad prædicta faciendis, nisi tamen cause reorum, quorum occasione præmissa faciendæ sunt, reperiantur introductæ in Tribunali Auditoris Camera; aliis omnia, & singula præmissa per alium Notarium rogata, & registrata respective, nulla sint.

§. 3. Nos inviolabili decretorum hujusmodi observationi, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, decreta prædicta apostolica auctoritate, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiciamus.

§. 4. Decernentes, præsentis literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari.

§. 5. Sicque, & non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Aliud privilegium circa gratias S. C. concedendas.

Pont. modo approbat Decreta dd. privilegiorum.

Jubetque illa observari.

Sublata alicuius judicandi potestate.

Non

Contrarii derogatio.
Dat. die 10. Septem. 1622. An. II.

Publicatio.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20 Septembris 1622, Pontificatus nostri anno Secundo.

Die Luna 10. Octobris 1622. Hujusmodi Breve Apostolicum fuit in Cam. Apostolica presentatum. & die Veneris vigesima prima ejusdem Mensis, referente admodum Illustr. & Reverendiss. D. Federico Cornelio d. Camera Clerico, & Judice citato, etiam ad hoc Reverendiss. D. Antonio Cicalotto Camera praedicta generali Commissario, Camera ipsa illud admittit, & in libris ejusdem Camera registrari mandavit, prout per me ejusdem Cam. Notarium infra scriptum, registratum fuit in libro diversorum nuncupato, fol. 52. & in fidei &c.

Astulphus de Tarano.

L X X V I I I.

Extinctio Curae Animarum Parochialis Ecclesiae Sancti Nicolai in Agone, ejusdemque applicatio Parochialibus Ecclesiis circumvicinis, ac ipsius Ecclesiae cum Cameris Rectoralibus, & universa suppellectili concessio Confraternitati sub Invocatione SS. Nicolai, & Catharinae Nationis Lotharingorum.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Constitutionis.

DUM ad sacram Beati Petri Sedem inscrutabili superni Patris prudentia, in plenitudinem potestatis, meritis licet imparibus, assumpti, mentis nostrae dirigimus aciem erga grata, & accepta sinceræ fidei, & propensæ devotionis obsequia, quæ inter cæteras universi Orbis ad Almam Urbem nostram confluentes, & in conspectu nostro degentes Nationes Dilecti filii Lotharingi veteris Austrasie Regni genus in Romana Curia pro illius, & Sedis Apostolicæ decore jam ab immemorabili fere tempore eximia, etiam integritate, & indefessa sedulitate, præstare consueverunt, dignum quin potius debitum arbitramur, ut eorum preces, illa præsertim, quæ prodire dignoscuntur ex intimo devotionis affectu, quem erga gloriosum Dei Confessorem Beatum Nicolaum, Episcopum Lotharingæ, ut accepimus, & Barris Ducatu Protectorem, & Tutelarem gerunt apud Nos, & dictam Sedem, ad exauditionis gratiam benigne admittantur, ipsique locum opportunum, & cognitum pro eorum Confraternitatis, & spiritualium exercitiorum commoditatibus in dicta Urbe ad instar aliarum Nationum in ea versantium, ex nostræ, & ejusdem Sedis munificentia, & liberalitate, dictorum obsequiorum intuitu, & aliorum meritorum,

quibus abunde eos ornatos esse Nobis constat, contemplatione, consequantur.

§.1. Cum itaque Parochialis Ecclesia S. Nicolai in Agone nuncupati de Urbe, quæ ab Ecclesia S. Laurentii in Damaso de dicta Urbe tamquam ejus Matrice dependet, & illi immediate subiecta est, cujusque dum pro tempore vacat, collatio, & omnimoda dispositio ad pro tempore existentem ejusdem S. Laurentii Diaconum, seu Presbyterum Cardinalem spectat, & quam quondam Jo. Baptista Bellobonus ipsius Ecclesiae Sancti Nicolai Rector, dum viveret, obtinebat, per obitum ipsius Jo. Baptista, qui hodie, seu nuper, in dicta Curia diem clausit extremum, vacaverit, & vacet ad præsens.

§.2. Et sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum Rectorum, & Confratrum Confraternitatis ejusdem S. Nicolai Lotharingorum petitio continebat, dicta Ecclesia S. Nicolai septuaginta domos, seu familias, vel circa dumtaxat sub sua cura, & Parochia habeat, & ad exercitium curæ animarum dilectorum filiorum illius Parochianorum, & officiorum, ac onerum Parochialium valde angusta, & obscura existat, & in actu illius visitationis præteritis annis factæ pro tali habita, & relata fuerit, dictique Parochiani, qui numerum quadringentorum, & nonaginta, vel circa non excedunt, pro Missis, & aliis divinis officiis audiendis, passim ad alias vicinas ecclesias accedere consueverint, & proinde expedit ipsam animarum curam inde ad aliquam, seu aliquas ex vicinis commodioribus Parochialibus ecclesiis transferre, & dictam Ecclesiam S. Nicolai alicui Congreg., seu Confraternitati, cujus cura in decenti statu construetur, & divinus in ea cultus manuteneatur, concedere. A longo tempore vero quamplurimi honestæ conditionis viri ex Lotharingæ, & Barris Ducatibus oriundi, in prædicta Curia cum multa tum fidei, & probitatis, tum etiam pietatis, ac propensæ erga sedem prædictam devotionis laude versati fuerint, & eorum multi diversis Datarie, & Cancellariæ Apostolicæ muneribus, & officiis secundæ peritiæ, fidelitatis, & integritatis fama præfuerint, continuoque, & etiam nunc in ipsa curia non pauci ex dictis ducatibus reperiantur, qui antecessorum suorum vestigiis sedulo insistentes, parem cum eis laudem promoveri indefessi animi, & corporis studio felici emulatione contendunt, & qui præcesserunt, perpetuum pietatis, & religionis sui monumentum posteris relinquere volentes, unam utriusque sexus Christifidelium ex ejusdem ducatus oriundorum Confraternitatem sub invocatione SS. Nicolai, & Catharinae in Cappella ejusdem S. Nicolai in Ecclesia S. Ludovici Nationis Gallicanæ de eadem Urbe sita, apostolica auctoritate erigi, & institui obtinuerint, & Confratres ipsius Confraternitatis pro tempore existentes inter alia pietatis opera per eos exerceri solita, pauperes puellas dotare, & egenos ad dictam Urbem ex ejusdem Ducatibus

Vacante Parochiali Ecclesia S. Nicolai in Agone.

Confratres Confraternitatis sub invocatione Sanctorum Nicolai, & Catharinae Nationis Lotharingie

Negotio prudenter discussio a Card. Vice-Cancellario d. Ecclesiam concessendam censuit applicatis tamen prius ipsius emolumentis duobus præbendis nuper in Eccl. S. Laurentii erectis.

Nunc vero Pont. ab Ecclesia S. Nicolai curam animarum aliaque onera, & officia Parochialia omnia abdicat.

Ducatibus pro tempore accedentes eleemosynis juvare, dictaque Cappella, quæ marmoreis lapidibus, & picturis insignibus eleganter ornata, ac cruce, & candelabris argenteis, aliaque suppellectili sacra abunde instructa est, per duos Cappellanos, constituto eis menstruo salario competenti in divinis deserviri facere consueverint, aliquem vero locum nec in dicta Ecclesia S. Ludovici, illiusque Sacristia, & ædificiis, nec alibi habeant, in quo pro negotiis dictæ Confraternitatis pertractandis congregari possint, & ex hoc non leve incommodum experiantur, Rectores autem, & Confratres prædicti speciali devotionis affectu erga ipsum S. Nicolaum, quem uti tutelarem Patronum omnis Lotharingie Provincia insigni venerationis cultu prosequitur, permoti, dictam Ecclesiam S. Nicolai, præcedente translatione curæ animarum hujusmodi, Confraternitati prædictæ concedi summo-pere desiderant, & ex hoc dictæ Confraternitatis commodis, & ipsius Ecclesie S. Nicolai manutentioni, & ornatui, divinique cultus in ea augmento opportuna ratione, consultum futurum sit.

§.3. Et Venerabilis frater noster Alexander Episcopus Albanen. Cardinalis Montaltus nuncupatus, & S. R. E. Vicecancellarius negotio ipso prius de ejus mandatomature, & prudenter discussio ad translationem curæ animarum, & concessionem Ecclesie Sancti Nicolai hujusmodi utiliter deveniri posse judicaverit, illique ipse (dummodo tamen bona, & proprietates, ac fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta universa ejusdem Ecclesie Sancti Nicolai duobus Canonatibus, & totidem præbendis nuper in dicta Ecclesia S. Laurentii apostolica auctoritate erectis, ut infra, applicentur) consentire proposuerit.

§.4. Quare pro parte Rectorum, & Confratrum hujusmodi asserentium, fructus, redditus, & proventus dictæ Ecclesie Sancti Nicolai centum, & quinquaginta ducatorum auri de Camera secundum communem estimationem, valorem annum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum valorem secundum estimationem prædictam etiam beneficii, cui aliud uniri petetur; alioquin unio hujusmodi non valeat, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset: idemque observaretur in quibusvis applicationibus de quibusvis fructibus, & bonis ecclesiasticis; quique divini cultus, ac piorum operum studio incumbentium propagationem, & incrementum, præsertim in Alma Urbe nostra vigere sinceris exoptamus affectibus, ipsos Rectores, ac Confraternitatis hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis,

confuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ex nunc a dicta Ecclesia S. Nicolai, sive præmissis, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Joannis Baptista, vel cujusvis alterius de illa in dicta Curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, & testibus sponte factam, aut Constitut. fel. rec. Joannis PP. XII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. statuta Concilii est ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipsaque Ecclesia S. Nicolai dispositioni apostolicæ specialiter, vel generaliter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, omnimodam curam animarum Parochianorum hujusmodi, ac officia, & onera Parochialia illi quomodolibet incumbentia, illorumque jus, & exercitium universum, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo abdicamus.

§.5. Sicque abdicata ad aliquam, seu aliquas Parochiales Ecclesias circumvicinas arbitrio d. Alexandri Episcopi, & Card., ita quod Parochiani ipsius Eccl. S. Nicolai nunc & pro tempore existant. deinceps in perpetuum ad Ecclesiam, seu Ecclesias, ad quam, seu quas illos transferri contigerit, tamquam propriam, seu proprias eorum Parochialem Ecclesiam, seu Parochiales Ecclesias pro Missis, & aliis Divinis Officiis audiendis, ac Sacramentis Ecclesiasticis percipient. tamquam veri, certi, & indubitati ejus, seu earum Parochiani accedere, & ad curam animarum in Ecclesia, seu Ecclesiis, ad quam, seu quas translatis fuerint hujusmodi, canonice deputatum, seu deputatos Rectorem, seu Rectores pro tempore, uti verum, & proprium Parochum, seu veros, & proprios Parochos recognoscere, & observare, ac illi, seu illis debitam obedientiam, & reverentiam exhibere, ac jura Parochialia, & consuetudines præstare debeant, & teneantur, dicta auctoritate apostolica, etiam perpetuo, transferimus.

§.6. Et in ipsa Ecclesia Sancti Nicolai nomen, titulum, & denominationem, ac essentiam Parochialis Ecclesie, illiusque Rectoris, similiter perpetuo supprimimus, & extinguimus.

§.7. Ipsam vero Ecclesiam Sancti Nicolai ab omni cura, officiis, oneribus Parochialibus liberam, & exemptam, & de cætero non collativam effectam, illiusque Cameræ Rectorales super ea constructas, ex quibus si locarentur, decem ducati auri de Camera similes, vel circa, ut etiam accepimus, annuatim perciperentur, cum Sanctorum, & quibusvis aliis reliquiis, ac omnibus,

Tamque ad alias Paroch. Eccl. arbitrio d. Card. cum suis inibus transferat.

Ac denominationem, & tit. Parochialis dictæ Ecclesie supprimat.

Ipsam vero Ecclesiam sic liberam cum Cameræ Rectoralibus, aliisque suppellectilibus assignat dictæ Confraternitati.

nibus, & singulis paramentis, & ornamentis, calicibus, crucibus, candelabris, campanis, libris, vasis, univrsaque alia suppellectili tam sacra, quam profana, etiam ex auro, & argento, ac aliis rebus quibuscumque in dicta Ecclesia Sancti Nicolai ad presens existens, & ad illius usum comparatis, predictae Confraternitati, ita quod liceat ipsius Rectoribus, & Confratribus nunc, & pro tempore existens, corporalem, & actualem Ecclesiam Sancti Nicolai, ac Cameraarum predictarum possessionem per se, vel alium, seu alios eorum, ac dictae Confraternitatis nomine, propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere.

§.8. Distaque Ecclesiam Sancti Nicolai in divinis per Presbyt. idoneos a Rectoribus, & Confratribus predictis nunc, & pro tempore existens, ponendos, & pro libero, & absoluto eorum arbitrio amoven., deserviri facere.

§.9. Itaque quotiescumque, & quandocumque illis beneficium fuerit, dilatare, & ampliari, immutare, ac etiam in aliam formam reducere.

§.10. Ipsi tamen Rectores, & Confratres singulis annis in perpetuum, cereum unicum cerae albae ponderis quatuor librarum die festo Sancti Laurentii dicto Alexandro, & pro tempore existenti ejusdem Ecclesiae Sancti Laurentii Diacono, seu Presb. Card. in signum recognitionis tradere teneantur, dilecti filii nostri moderni, & pro tempore existens Urbis praedictae Vicarii, aut cujuscumque alterius licentia desuper minime requisita, ejusdem Alexandri Episcopi, & Cardinalis expresso, dilecti vero filii moderni Rectoris, seu dilectorum filiorum modernorum Rectorum Ecclesiae, seu Ecclesiarum, ad quam, seu ad quas curam animarum hujusmodi transferri contigerit, ad hoc accedente consensu, auctoritate, & tenore praemissis, ut idem perpetuo concedimus, & assignamus.

§.11. Postremo dictis duobus Canonicatibus, & duabus Praebendis noviter in dicta Ecclesia Sancti Laurentii ex fructibus, redditibus, & proventus olim Parochialis Ecclesiae Sanctae Coeciliae in Monte Jordano de eadem Urbe, distaque apostolica auctoritate erectis pro usu, & augmento distributionum quotidianarum inter dictos duos Canonicatus, & Praebendas noviter erectas, & suo tempore obtinentes, ac horis Canonicis, aliisque divinis officiis in dicta Ecclesia Sancti Laurentii suis loco, & tempore intereferentes, & quis portionibus, & ratis dividendarum, ita quod uno eorum absente, & non intereferente, ejus portio, & rata alteri praesenti, & intereferenti tantum accrescat, & accrescere eo ipso censetur, omnia, & singula dictae Ecclesiae Sancti Nicolai, & illi annexorum quorumcumque proprietates, praedia, domos, apothecas, canones, census, rationes, aliaque bona, & jura univrsalia in quibusvis rebus consentientia, & undecumque provenientia, ac quomodolibet, & quovis nomine

Eique a presb. idoneis, ab ipse ponendos deserviri facere.

Nec non dilatare, & in aliam formam reducere, uti possint, indulget. Quotannis cereum unum 4. librarum in festo S. Laurentii d. Carh. in signum recognitionis solvere obligat.

Ex proventibus Panochialis tantum duos Canonicatus in Ecclesia S. Laurentii in Damaso erigat, & dotat.

nuncupata, Cameris tamen, & bonis mobilibus, aliisque sic, ut praemittitur, dictae Confraternitati concessis tantummodo exceptis, qua sub hujusmodi applicatione, & appropriatione comprahendi, aut venire non debeant, neque etiam censentur, praevia illorum, quatenus opus sit, ab eadem Ecclesia Sancti Nicolai opportuna dismembratione, & separatione, ita quod liceat dictos duos Canonicatus, & Praebendas pro tempore obtinentibus, & eorum cuilibet per se ipsos, seu eorum alterum, eorum, ac dictorum Canonicatum, & Praebendarum noviter erectorum nominibus, corporalem, realem, & actualement illorum omnium possessionem, cujusvis licentia etiam desuper minime requisita, propria auctoritate libere apprehendere, fructus quoque, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quaecumque exinde quomodolibet provenientia, percipere, exigere, levare, recuperare, locare, dislocare, arrendare, & administrare, eidem auctoritate, & tenore pariter, & perpetuo ex nunc applicamus, & appropriamus.

§.12. Decernentes praesentes literas, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, aut habere praetendentes, illis non consenserint, ad eaque vocati, & cauae, propter quas illa fiant, vel facta sint, coram praedicto Vicario Urbis, vel aliis examinatae, verificate, & justificatae non fuerint, seu aliis ex quocumque alio capite, vel causa quantumvis legitima, vel juridica, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari, vel invalidari, seu in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque Juris, gratiae, vel facti remedium impetrari, aut concedi nullatenus posse, sed illas semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, neque sub quibusvis similitudine, vel dissimulium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Rom. Pont. pro tempore existens, Sedemque praedictam sub quibuscumque verborum expressionibus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis comprahendi, vel confundi, sed ab illis semper excipi, & quoties illae emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo, & sub quacumque posteriori Dat. per Rectores, & Confratres dictae Confraternitatis pro tempore existentes quodcumque eligenda, concessas esse, & fore.

§.13. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, Commissarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eisdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam

Clausulas praeservativas apponit.

Aliter iudicandi facultatem tollit.

etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos, distaque Sedis Nuncios judicari, & deserviri debere: irritum quoque, & inane, quidquid fecerit super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.14. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Ostien., & Portuen. Episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios eadem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte nunc, & pro parte existens. Rectorum, & Confratrum dictae Confraternitatis, seu alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praedio assistentes, faciant auctoritate nostra eadem praesentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos nunc spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari: ipsosque Rectores, & Confratres Ecclesiae Sancti Nicolai, ac illius Cameris Rectoralibus, nec non omnibus, & singulis paramentis, & ornamentis, calicibus, crucibus, candelabris, campanis, libris, vasis, univrsaque alia suppellectili tam sacra, quam profana eidem Confraternitati concessis: dictos duos vero Canonicatus, & Praebendas pro tempore obtinent. omnibus, & singulis fructibus, redditibus, proventus, juribus, obventionibus, & emolumentis univrsis, ac aliis eisdem duobus Canonicatibus, & Praebendis, ut praesertur, applicatis, praedictis pacifice frui, & gaudere: non permittentes eos, seu eorum quemlibet desuper per quoscumque quomodolibet indebita molestari: Contradictores auctoritate nostra praedicta, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis, servandis processibus, illos sententias, censuras, & poenas hujusmodi incurrisse, servata forma Concilii Tridentini, declarando, illosque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

§.15. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, ac pie memoriae Bonifacii Papae VIII. etiam Praedecessoris nostri, necnon quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, d. Urbis juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, absolutionis, translationis, suppressionis, extinctionis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Tusculi, Anno Incarnationis Bull. Rom. Tom.V. Par.V.

Requisitores hujus Confraternitatis deputat.

Contraria alit.

Sanctionem penalem adgit.

Dominica millesimo sexagesimo vigesimo secundo, tertio nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno II.

LXXIX.

Committitur Nuncio Apostolico Neapoli, & Vicegubernatori Civitatis Beneventanae, ut procedant contra honorem Deventores Monasterii Abbatis nuncupatae Sanctae Mariae de Ferrara Sancti Benedicti, vel alterius Ordinis Beneventanae, vel Theanen., aut Nullius Dioecesis.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilectis filiis nostro, & Sedis Apostolicae in Regno Neapolis Nuncio, & Civitatis nostrae Beneventanae Vicegubernatori nunc, & pro tempore existentibus.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. CUM sicut dilectus filius noster Ludovicus tituli Sanctae Mariae Transpontinae Presbyter Cardinalis Ludovicus nuncupatus noster secundum carnem ex fratre germano nepos Nobis nuper exposuit, multa bona, & Territoria ad Monasterium Abbatis nuncupatum Sanctae Mariae de Ferrara Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis Beneventanae, seu Theanen., aut Nullius Dioecesis, quod dictus Ludovicus Cardinalis in Commendam ad sui vitam ex concessione, & dispensatione apostolica obtinet, spectantia, a diversis personis, etiam in dignitate ecclesiastica constitutis, & nonnullis Ecclesiis indebita occupata retineantur, etiam illa ad dictum Monasterium ex diversis Capitibus, & respectibus devoluta sint.

Commissio causa.

§.2. Nos ejusdem Monasterii utilitati, & commodis, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, vobis, & vestrum cuilibet in solidum per praesentes committimus, & mandamus, ut contra eorumdem honorum detentores, & occupatores quoscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentes, etiam Ecclesiae, Monasteria, & alia Loca Pia fuerint, summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicii, manu regia, ac sola facti veritate inspecta, omnique, & quacumque reclamacione, & recursu remotis, procedatis.

Commissio, de qua in Rubrica.

§.3. Cum facultate alios quoscumque, etiam in dignitate ecclesiastica constitutos ad praemissa subdelegandi, quoscumque quavis auctoritate fungentes citandi, & sub poenis arbitrio vestro moderandis, & applicandis, inhibendi etiam per edictum publicum, confiso, quantum vobis sufficere videbitur de non tuto accessu, aliaque omnia, & singula in praemissis, & circa ea necessaria, & opportuna, etiam si talia sint, vel fuerint, quae magis specialem, specificam,

Facultatem concessio.

cam, & expressam requirerent mentionem faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi.
§.4. Non obstantibus quatenus opus sit fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die 7. Octobris 1622. Pontificatus nostri Anno II.

LXXX.

Confirmatio Decretorum a Rege Catholicorum circa exclusionem mercatorum, & aliorum ab habitu Militiarum de Spatha, Calatrava, & Alcantara.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Statuta hujusmodi Militiarum caveantur, quoniam sunt, in his qd admittantur.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus Militiarum Sancti Jacobi de Spatha, Calatrava, & Alcantara perpetuus Administrator, apostolica auctoritate deputatus, quod in recipiendis ad habitum Fratrum Militum dictæ Militiæ Sancti Jacobi de Spatha his, qui, seu quorum genitores, & avi mercaturam exercuerunt quodam ejusdem Militiæ stabilimento cap. V. tit. 1. caveatur expresse, ne dictæ Militiæ Sancti Jacobi habitus illi tradi, aut exhiberi possit, qui mercator, aut argentarius fuerit, vel officium vile, aut mechanicum exercuerit, aut eorum, qui alterutrum officiorum hujusmodi exercuerint, natus existat, etiam si se nobilem hyodalgo vulgo nuncupatum esse probet, cum declaratione, quod mercator ad hunc effectum intelligatur, is, qui Apothecam cujusvis generis mercium in ea per se ipsum, aut ministros suos residendo, habuerit: Argentarius autem, qui Bancum publicum tenuerit, & ex professo pecunias per se, aut suos deputatos ad cambium dederit: & quia nonnulli de Calatrava, & Alcantara Militiarum prædictarum Fratres earundem Militiarum stabilimenta materiam hujusmodi tractantia, ex eo quod illa simili declaratione carent, rigidiori sensu interpretantur, cum titulo sexto cap. primi statutorum Militiæ prædictæ de Calatrava caveatur, ne quis ad habitum per ejusdem Militiæ de Calatrava Fratres Milites gestari solitum admittatur, qui, vel cujus genitor, aut avus cujusvis generis mercium mercaturam per se ipsos, seu ministros suos exercuerit, sive Aurifex, vel Picior, aut Argentarius fuerit, qui Bancum publicum tenuerit, & ex professo pecunias per se, aut suos deputatos ad cambium dederit. Titulo vero XIII. capitis primi stabilimento dictæ Militiæ de Alcantara prohibetur,

quemquam inter Fratres Milites dictæ Militiæ recipi, qui nobilis, ut præfertur, non sit juxta modum, & formam Regnorum Hispaniarum qui a Mauris conversis Hæreticis, aut Hebrais, & ignobilibus, vel iis, qui per officium Inquisitionis hæreticæ pravitatis pro causis fidei puniti fuerunt, usque ad quartam generationem in parte, vel alias originem non trahat, sed ii dumtaxat recipiantur, qui de nobili antiquo Christianorum nobilium genere ex utroque parente, & avis ambarum partium nominis, & insignium procreati sint, itaut fama publica in contrarium non sit, quique, & quorum genitores Mercatores, Affictuarii, aut Argentarii, vel Usurarii, aut similibus personarum in hujusmodi officiis Ministri, seu Officiales mechanici non fuerint, nec ex hujusmodi officiis vivant, aut vixerint.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, statuta, seu stabilimenta dictarum Militiarum in illarum Capitulis generalibus, auctoritate apostolica desuper suffragante, edita fuerint, & dictus Philippus Rex multis negotiis impeditus, Capitula generalia hujusmodi celebrare non possit, & pro tollenda omni in præmissis ambiguitate, nec non disparitate circa modum interpretandi exclusionem dictorum mercatorum ab habitu Militiarum hujusmodi, utque Judices consilii Regii dictorum Ordinum uniformiter, & citra opinionum disparitatem in hujusmodi materia de cætero judicent, decreverit, exclusionem mercatorum hujusmodi ab habitu Militiarum de Calatrava, & Alcantara prædictarum, juxta declarationem stabilimenti Capituli quinti tituli primi in prædicta Militiæ Sancti Jacobi emanatam intelligi debere, quod nempe ii mercatores ab habitu dictarum Militiarum de Calatrava, & Alcantara absque dispensatione apostolica exclusi intelligantur, qui, aut quorum genitores, vel avi apothecam apertam cujusvis generis mercium tenuerint, & in illa merces per se ipsos, seu ab eis deputatos venderint, non autem ii, qui pecunias suas lucrari causa in magna summa ad grossum, ut vulgo nuncupant, erogant, & ipsi in apotheca non vendunt, seu vendere faciunt ad minutum.

§.3. Nos, ut Decreta hujusmodi per dictum Philippum Regem, ut præfertur, facta, ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observentur, quantum cum Domino possumus providere, ac dicti Philippi Regis votis annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta prædicta per eundem Philippum Regem, ut præfertur, facta, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§.4. Decernentes præsentem litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri,

Hujusmodi statuta declarationem habet Philippus Rex.

Hujusmodi declarationem ratam habet Gregorius.

Clanfulæ.

tiri,

tiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari debere, irritumque, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Militiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Octobris 1622., Pontificatus nostri Anno Secundo.

LXXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Cathedralem Ecclesiam Parisiensem in Metropolitana erigit, eidemque Suffraganeos assignat.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Universi orbis ecclesiis eo disponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, meritis licet imparibus præsentibus in omnes agri Domini partes, oculos nostræ mentis vigilis more Pastoris intendimus, insipientes, quid ecclesiarum ipsarum præsertim Cathedralium insignium, statui, & decori maxime conveniat, atque hoc quidem, tanto liberalius, promptiusque curandum censemus, quanto magis Civitatum celebritas, ac Regum Christianorum vota id exposcunt, ac divino fulti præsidio, illius qui cuncta ex sua benignitate ad fidelis populi sui salutem disponit ad ea, quæ ad dignitatem, & statum ecclesiarum ipsarum augendum pertinent, officii nostri partes libenter convertimus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Causa faciendæ erectionis.

§.1. Sane attendentes, quod ecclesia Parisiensis, quæ de præsentis Pastoris solatio destituta existit, maximis dignitatibus, & Canonicorum, ac aliorum Ministrorum ecclesiasticorum divinis laudibus in ea continuo insistentium numero decorata existit, ac non modo Diæcesis magnitudine patet, clerici, populique pietate, nobilitate, & amplitudine floret, Episcoporum quoque ordine succedentium, quos multos ab initio fere nascentis Religionis sævientibus adhuc infidelium persecutionibus, fidei catholica Bull. Rom. Tom. V. Par. V.

defensores, & propugnatores habuit, numero affluit, sacrarumque reliquiarum copia abundat, & erga eandem ecclesiam Parisiensem Franciæ Reges maximum semper gefferunt Religionis affectum. Cumque sicut accepimus, Civitas ipsa Parisiensis ex insignioribus nedum Europæ, sed universi Orbis Regum Galliæ Christianissimorum Regia Sedes, ac totius Regni Galliæ caput, ex inclytæ memoriæ Clodovei primi eorumdem Francorum Regis Christianissimi decreto existat, & in dicto Regno primum obtineat, virorumque Principum, ac Procerum, & Magnatum omnium illius Regni Provinciarum Aulam Regiam, pro ipsius Regis decore sequentium frequenti concursu, civumque litterariæ, & Militariæ Disciplinæ Laude, & gloria clarorum ingenti numero florentissima dignoscatur, & in ea celeberrima omnium scientiarum Academia, seu universitas studii generalis jam a pluribus sæculis præ cæteris similibus studiorum Universitatibus floreat, & etiam superma totius Regni Senatus, ex Nobilium, & aliorum insignium jurisperitorum consilio compositus resideat, & quamplurimis sumptuoso adificio constructis ecclesiis, & templis, necnon virorum, & Sanctimonialium Monasteriis, Xenodochiis, & locis piis, amplissimis redditibus ex Regum munificentiâ, & liberalitate pro singulari eorum pietate dotatis abundet: Propterea ecclesia ipsa Parisiensis Metropolitana Prælatione merito digna censetur.

§.2. Nos igitur his, atque aliis rationibus, & causis adductis, ad laudem, & honorem omnipotentis Dei, ac Beatæ Virginis Mariæ, necnon fidei Catholice exaltationem, & totius militantis ecclesiæ gloriam motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine prædictam ecclesiam Parisiensem a jure Metropolitana, quo ecclesiæ Archiepiscopali Senonensi, etiam ad præsens Pastoris solatio destituta tenetur, omnino segregamus, & eximimus, ac in Metropolim, Sedemque Episcopalem Parisiensem in Archiepiscopalem, Archiepiscopalisque, & Metropolitanam Præsidis Sedem Provinciæ caput pro illius Archiepiscopo pro tempore existentis, ita tamen, quod ecclesia ipsa Parisiensis ecclesiæ Primatiali Lugdunensi, & illius Archiepiscopo, seu Primati ad instar dictæ ecclesiæ Senonensis subiacere debeat, & sine præjudicio concordatorum Regni Franciæ, dudum inter Sedem apostolicam, & Claræ memoriæ Franciscum Primum eorumdem Francorum Regem initorum, apostolica auctoritate tenore præsentium erigimus, & instituiamus, ac nomine, titulo, & honore Archiepiscopali, & Metropolitanæ decoramus.

§.3. Necnon dictæ ecclesiæ Parisiensis Præsulibus, qui erunt pro tempore, Pallium in signum plenitudinis, videlicet Pontificalis officii assignandum fore, ecclesiamque Parisiensem Metropolitanam prædictam Præsules Archiepiscopos censerî, ac perpetuis futuris temporibus nuncupari debere,

Erectio, de qua in Rubrica.

Pallii concessio pro Archiepiscopo.

Ecclesiarum
suffraganeas
assignatio.

re, Archiepiscopalia quoque, & Metropolita insignia gerere, iura jurisdictiones, & cetera singula, prout Metropolitanis in eorum Civitatibus, Diocesis, & Provinciis a jure indultum existit, facere, exercere, administrare, & exequi posse, dicta auctoritate concedimus.

§.4. Necnon Carnotensem, & Meldensem, ac Aurelianensem Ecclesias, quæ etiam de jure Metropolitico prædictæ ecclesiæ Senonensibus subesse dignoscuntur, earumque omnium, & singularum Civitates, & Dioceses, cum omnibus, & quibuscumque earum territorii, & terminis, ac dilectos filios earum singularum Clerum, & Populum universum cum quibusvis Collegiatis Parochialibus, & aliis ecclesiis, necnon Monasteriis utriusque sexus, cæterisque beneficiis ecclesiasticis, cum cura, & sine cura secularibus, & quorumvis ordinum, & Militiarum regularibus, necnon Hospitalibus, domibus, Collegiis, & locis religiosis quibuscumque, ab ecclesia Senonensi, ac pro tempore existentis Archiepiscopi Senonensis subjectione, & jurisdictione, necnon correctione, visitatione, ac omni, & quacumque alia obedientia, & superioritate perpetuo dividimus, & separamus, illasque, & earum Civitates, & Dioceses post hac in Provincia Parisiensi esse, & consistere, neque in alia Provincia censendas, & numerandas esse decernimus, & declaramus: Præterea dictæ Parisiensi ecclesiæ Carnotensem, & Meldensem, & Aurelianensem ecclesias, & Dioceses præfatas, modernasque pro tempore existentes, illarum singularum præfules pro suis pro tempore existentes, Archiepiscopi Parisiensi suffraganeos, qui earumque singularum capitula, etiam quocumque privilegio suffulta tamquam membra capiti eidem Archiepiscopo Parisiensi jure Metropolitico subsint, sibi que obedientiam, & reverentiam tamquam proprio Metropolitano proflus exhibeant, etiam perpetuo subiiciamus.

Privilegia
Metropolitani
eorum
cessio.

§.5. Eidem Archiepiscopo Parisiensi præfatos suos suffraganeos consecrandi, ac Provinciales synodos evocandi, ac cum eis ecclesiastica negotia terminandi, eorum ecclesias disponendi, & causas quarumcumque appellationum, sive querelas alias ad eum tamquam Metropolitanum juxta decreta Concilii Tridentini devolutas, aut alias juxta Sacrorum Canonum statuta spectantes cognoscendi, omniaque alia, & singula, quæ de jure, vel consuetudine, aut aliis quomodolibet ad Archiepiscopos, & Archiepiscopale munus spectare, pertinere solent, & debent, gerendi, faciendi, & exercendi plenam, & omnimodam concedimus facultatem. Provinciam quoque Parisiensem Clerum, & Populum universum eorum pro ecclesiæ, & Archiepiscopi Parisiensi Provincialibus, pariter perpetuo concedimus, & assignamus.

Clausula.

§.6. Decernentes easdem præfatas literas sub quibusvis similibus, & dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus,

limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, seu alios Romanos Pontifices successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu, scientia, potestatis plenitudine, similibus pro tempore quomodolibet factis minime comprehendi; sed semper ab illis excipi, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum, & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant statum, restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, per Archiepiscopum Parisiensem pro tempore existentem, quodcumque eligenda concessas, ac semper perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet spectat, & spectare poterit in futurum perpetuo firmiter, & inviolabiliter observari, & adimpleri: sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & vice legatos, dictæque Sedis Nuncios judicare, & definituri debere, ac ex nunc irritum, & inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate fuerit, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium
derogatio.

§.7. Non obstantibus regula nostra de jure quaesito non tollendo, ac quibusvis aliis apostolicis, necnon in Provincialibus, synodalibus, universalibus Conciliis editis, & edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon Carnotensis, & Meldensis, ac Aurelianensis ecclesiarum prædictarum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris apostolicis eidem ecclesiis, & Venerabilibus Fratribus nostris modernis earum Episcopis, necnon dilectis filiis earum Capitulis, & quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, & scientia paribus, ac consistorialibus, ac aliis quomodolibet etiam pluries concessis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa mentio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inferrentur præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse, motu, scientia, ac potestatis plenitudine prædictis derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausula
penales.
cora.

§.8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, exemptionis, erectionis, institutionis, de-

Dat. die 20.
Octobr. 1622.
An. II.

Ex Regest. in
Secret. Breve.

Philippi Regis
petitio.

Facultas de
qua in Rubrica.

Clausula.

corationis, divisionis, separationis, declarationis, subjectionis, concessionum, assignationis decretorum, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo Secundo, Decimo tertio Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno II.

LXXXII.

Regi Catholico facultas conceditur statuta militiarum de Calatrava, & Alcantara quo ad admittendos, reducendi ad formam statutorum militiæ Sancti Jacobi de Spatha.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Cum sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus Nobis nuper exponi fecit, inter militias Sancti Jacobi de Spatha, ac de Calatrava, & Alcantara in Regnis Hispaniarum, quarum ipse Philippus Rex perpetuus Administrator, apostolica auctoritate deputatus existit, dicta militia Sancti Jacobi de Spatha aliis duabus major, & opulentior, ac copiosior existat. Quia vero in statutis, seu stabilimentis militiarum huiusmodi de admittendis ad habitum per illarum fratres milites gestari solitum personis, quadam diversitas reperitur; Idem Philippus Rex pro earumdem militiarum felici statu, & regimine, per Nos, ut infra opportune provideri summopere desideret.

§.2. Nos ejusdem Philippi Regis votis in præmissis quantum cum Domino possumus benigne annuere, ipsumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdictionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, eidem Philippo Regi, ut de cætero in admittendis ad habitum per fratres milites dictarum militiarum de Calatrava, & Alcantara gestari solitum, personis, earumdem militiarum statuta, seu stabilimenta ad formam statutorum, seu stabilimentorum dictæ militiæ Sancti Jacobi de Spatha reducere libere, & licite valeat, apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impertimur.

§.3. Decernentes præfatas literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore,

suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari debere, irritumque, & inane quicquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum.

§.4. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, necnon militiarum huiusmodi, etiam Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque indultis, & litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 31.
Octobr. 1622.
An. II.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die ultima Octobris 1622. Pontificatus nostri Anno II.

LXXXIII.

Domus, & Collegia Soc. Jesu in Regnis Sinarum, & Japoniæ existentia a solutione Decimæ, vel Vigintiæ Parochiis, aliisque ecclesiis eximuntur.

Ex Regest. in
Secret. Breve.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Edes Apostolica, quæ consuevit se liberalem exhibere, plerumque nonnulla rationabili consultatione præhabita ordinat, quæ postmodum consultis, ac rationabilibus revocat, declarat, in melius commutat, ac in statum redigit rationis: maxime cum personarum, ac rerum, & temporum qualitatibus pensatis, id in Domino conspiciat salubriter expedire.

Exordium.

§.2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni Præpositus Generalis, & Religiosi Societatis Jesu alias piæ mem: Paulus Papa V. Prædecessor noster accepto per eum, quod dicti Religiosi vigore decretorum, exemptionum, aliorumque indultorum, & privilegiorum dudum a se. re. Paulo III., ac Pio IV., & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus, & Prædecessoribus nostris eidem Societati concessorum, & literarum desuper confectarum apostolicarum se, eorumque Domos etiam probationum, Collegia, & loca, ac res, & bona quæcumque a solutione etiam decimarum, quæ Parochialibus, & aliis ecclesiis de jure, seu consuetudine, seu quovis alio titulo, vel causa debentur, exemptos esse, contra vero metropolitanarum, etiam Cathedralium, ac aliarum ecclesiarum, Archiepiscopi, Episcopi, & alii Præfides Ven. fratres, ac Capitula, ac Parochialium Ecclesiarum Rectores Regnorum Portugalia;

Paulus Quintus
Domas,
& Collegia,
Soc. Jesu in
Regnis Portugallia,
& Algarbicum
ad solutiones
decimæ, medietatis
decimæ, vel vigintiæ
ad formam
suz Constitutionis
teneri
declaravit.

lia, & Algarbiorum dilecti filii ipsos Religiosos Societatis Jesu tali exemptione in maximum illorum præjudicium abuti prætendebant, motu proprio statuerit, decreverit, & ordinaverit, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus prædicta Societas, & illius Domus etiam probationum, atque Collegia, & loca quæcumque, ubicumque locorum in prædictis Regnis Portugallia, & Algarbiorum existentia ratione prædiorum possessionum, vinearum, olivetorum, Ferrarum, Hortorum, & bonorum quorumcumque, quæ tunc possidebant quomodocumque, & undecumque ad eos provenita, aut per eos acquisita forent, ac etiam eorum, quæ in posterum perpetuis futuris temporibus ex novis Domorum, & Collegiorum foundationibus, aut aliis largitionibus, donationibus, legatis, testamentis, codicillis, seu ultimis voluntatibus acquirerent, & non solum eorum, quæ locare, & arrendare solebant, sed etiam eorum quæ per proprios Colonos, ac propriis quoque manibus, vel sumptibus excolebant loco decimæ vigesimam videlicet ex singulis viginti unum eorum fructuum quoscumque generis, & specie, quosi in illis colligerent, necnon pecorum, & aliorum animalium, quæ in illis enutrient, piscationum, avium, & aliorum generum, & specierum, de quibus de jure, vel consuetudine, decima solet Ecclesiis, quibus aliquid, circumscriptis dictis privilegiis, decima persolvi deberet, persolvere tenerentur, & obligati essent. Et quia evenire poterat, ut Religiosi dictæ Societatis alia prædia, possessiones, terras, & bona emptionis titulo impoterum acquirerent, aut prædia, bona, & terras extraneorum excolerent, vel per alios excoli facerent, & nova controversia super his orire, declaraverit, & pariter statuerit, & ordinaverit, quod ratio decimæ prædiorum, quæ emptionis titulo acquirerent, aut quæ titulo locationis ab aliis conducerent, & colerent, aut colerent, non vigesimam, sed totam integram decimam, iis Ecclesiis, quibus etiam prius antequam ipsi Religiosi illa tenerent, debebantur, pariter solverentur, & obligati essent, ab hujusmodi autem solutione vigesimæ, seu decimæ hortos, seu viridaria apud Domos, & Collegia ejusdem Societatis existentia, & unum prædiolum in agro pro unaquaque Domo, seu Collegio muris circumdato quatuor Fanegas ad Regni Castellæ mensuram non excedent, salva, & exempta esse voluit, decernens ipsos Societatis Jesu Religiosos ad mediæ decimæ, seu vigesimæ, & integre decimæ hujusmodi respectu solutionem faciendam de cætero omnino teneri, & ad id æque, ac non exemptos cogi, & compelli posse, ipsosque Archiepiscopos, Episcopos, & Præsules, necnon Capitula, & Rectores ecclesiarum prædictarum, & alias personas ecclesiasticas hujusmodi mediæ, & integre decimæ, prout ab ipso Paulo V. Prædecessore, ut præfertur, statum erat, contentos esse debere, cum clausulis, quod de

subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis suæ, vel alio quocumque defectu dari non posset, decreto irritante, & Clausula sublata, & aliis latius, prout in literis dicti Pauli V. Prædecessoris in simili forma brevis sub die 22. mensis Aprilis anni Domini millesimi sexcentissimi decimi tertii Pontificatus sui anno Octavo confectis, plenius continetur.

§.2. Nos, quibus plene constat quam præclara dicta Societas eximie erga Sedem apostolicam obedientiæ, & observantiæ, ac propensæ voluntatis specimina semper ediderit, quodque ab ea maximi, & uberrimi in ecclesiam Catholicam spirituales fructus defluerint, & continuo defluant, Religiosisque Collegiorum, & domorum ejusdem Societatis in prædictis Regnis consisten. ad gentilium, & infidelium partes transmitti, gravissimis laboribus, incommodis, & periculis suis rem Christianam in Japonia, & sinarum Provinciis, totaque India Orientali tueri, & conservare, ac etiam Domino cooperante augere non desinant, & in eisdem Regnis, sicut accepimus Religiosi aliorum ordinum aliquas decimas ratione bonorum quæ propriis manibus, & sumptibus excolunt solvere, seu præstare non consueverint. Nos literarum prædictarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, dictamque Societatem, ac illius Collegia, Domos, & alia loca in prædictis Regnis existentia specialibus etiam favoribus, & gratiis prosequi volentes, necnon Præpositum generalem ejusdem Societatis, ac domorum, & Collegiorum, aliorumque locorum hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, porrectis Nobis pro eorum parte super hoc supplicationibus inclinati, eidem Societati, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, illa, omniaque, & singula illius Domus, Collegia, & loca ubicumque, in eisdem Regnis tamen dumtaxat existentia præsentia, & futura, ad solutionem, & præstationem decimæ integre, vel, dimidiæ ratione prædiorum, possessionum, vinearum, olivetorum, terrarum, locorum, ac aliorum bonorum quorumcumque ejusdem Societatis in dictis Regnis dumtaxat, & quæ propriis manibus, aut sumptibus, & per proprios Colonos nunc excolunt, & pro tempore excoluerint, sive prædia, possessiones, oliveta, & alia bona hujusmodi ad Societatem, illiusque Domos, & Collegia, & alia loca prædicta ex eorum foundatione, aut aliis largitionibus, donationibus, legatis, Testamentis, Codicillis, aut aliis ultimis voluntatibus, unionibus, applicationibus, concessionibus, emptionibus, aut aliis acquisitionibus, & aliis quomodocumque, & qualitercumque

Gregorius ab hujusmodi solutione Domos, & Collegia in Regnis Japonia, & Japonia existentia eximie

hactenus jam sint acquisita, sive impoterum ad eandem Societatem, Religiosisque illius deferri contigerit, nisi prout alii mendicantesolvere consueverunt, minime teneantur, prædictis dicti Pauli literis in aliis omnibus firmis, & illæsis remanentibus, apostolica auctoritate tenore præsentium, concedimus, & indulgemus, nec illos per Archiepiscopos, Episcopos, Præsules, necnon Capitula, Collegia, & Rectores metropolitanarum, Cathedralium, Collegiarum, Parochialium, aliarumque Ecclesiarum dictorum Regnorum nunc, & pro tempore existentes, & quosvis alios ad solutionem decimarum hujusmodi ratione bonorum ejusdem Societatis, quæ propriis manibus, vel sumptibus, ut præfertur, excolunt, seu excoli faciunt, aut excolunt, aliter faciendum, quam prout dicti mendicantesolvere consueverunt, cogi, aut compelli posse.

§.3. Minusque eos desuper eorumdem literarum Pauli V. Prædecessoris, seu quocumque alio colore, vel ingenio, publice, vel occulte, directe, vel indirecte molestari, perturbari, aut inquietari, per præsentibus has nostras literas ex eo, quod moderni Archiepiscopi, Episcopi, alique Præsules, necnon Capitula, & Rectores prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse quomodolibet habentes, vel habere prætendentes in eisdem præmissis non consenserint, ad eaque vocati non fuerint, aut aliis ex quocumque, & enormissima lesionis, seu alio capite quantumvis legitimo, & juridico de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, revocari, infringi, annullari, aut in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, vel terminos juris reduci, seu adversus illas quomodocumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, seu concedi nullatenus unquam posse, sed illas semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, ac dictæ Societati, illiusque Domibus, Collegiis, & aliis locis prædictis, quæ concernunt, & in futurum concernere poterunt, plenissime suffragari, & ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, observari. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula præservativa.

Exequutoriæ ad præstationem.

§.4. Quocirca Veni fratri Ferdinando olim Episcopo Faraonen. hæreticæ pravitatis in Portugallia, & Algarbiorum Regnis Inquisitori Generali, necnon jurium, & spoliarum Camera nostræ apostolicæ in eisdem Regnis debitorum Collectori Generali dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus, per præsentibus committimus, &

mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & cum opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Præpositi Generalis, & Religiosorum, seu alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant præmissa omnia ab omnibus, quos illa concernunt inviolabiliter observari, ipsosque Præpositum Generalem, & Religiosos, seu aliquem illorum præmissis omnibus, & singulis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis, servatis processibus, sententiis, censuras, & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.5. Non obstantibus singulis præmissis, ac nostræ, & Cancellariæ nostræ Regula de non tollendo jure quæsito, necnon sic: re: Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis ultra tres eorumdem vigore præsentium ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis apostolicis etiam in universalibus, Provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non, tam ipsius Societatis, illiusque Domorum, Collegiorum, & aliorum locorum prædictorum, quam quarumcumque Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiarum, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum Regnorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione, apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis eidem Archiepiscopis, sive Episcopis, eorumque Ecclesiis, Capitulis, & Canonicis, ac aliis quibuscumque personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium forsitan quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Aut si aliquibus communiter, vel diversim ab apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspensi, vel excommunicati non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Quibus omnibus etiam de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio in præsentibus faciendâ foret, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majoris sub annulo Piscatoris die 5. Novembris 1622. Pontificatus nostri Anno II.

Obstantium derogatio.

Dat. die 5. Nov. 1622. An. II.

Insi-